

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1608Michael Denis: *Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.*

C O D I C E S C A S U I S T I C I.

660 ————— 685.



DCLX.

736 **C**odex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 66. 4. minutissime per duas columnas scriptus et rubricis distinctus, quondamque *Fratris Henrici de Wilbering*, quod est Coenobium Ord. Cist. superioris *Austriæ*, hoc rubro gaudet: *Incipit summa Magistri Raymundi (de Pennaforti) de ordine predicatorum et primo de Simonia: Initium: Quoniam ut ait Ieronimus Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri &c. Opus istud ultimo recusum est Lugduni 1718. f. Glasse,*

quae in anterioribus Editionibus adjunctæ ad *Johannem Lectorem Friburg.* referuntur, monentibus Ord. Bibliothecariis T. I. p. 109. ad *Guill. Redonensem* ejusd. Ord. *Johanne* longe antiquiorem pertinent. De celebri *Summae* hujus Autore, cuius obitus anno 1275. adsignatur, agunt Bibliothecarii mox cit. Liber IV. finit: *non inuidenti animo sed benigno corrigat et emendet.* Accedunt in *Cod. Arborum Consanguinitatis et Adfinitatis*; Principio vero ejus adscriptum est sequens Distichon:

*O Romualde pater! mutata ueste tua ter
Es factus frater bis candidus et semel ater.*

In diversis enim Monasteriis vivit Parens hic *Camaldulensium*, ut in ejus Vita apud *Bolland. Baillet.* &c. habetur.

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

A

DCLXI.